

dant. Quarto, illum esse hominem cæcum negabant, ut Christi miraculum obnubilarent, hoc enim agnatum est humanæ superbæ aperta, & euidenti obsecrare, ut aliorum gloriam diminuerent, ac inficiari valeat.

100. Non ex præsenti, sed ex antiquis iustis hominibus.

101.

Electus Saul in Regem, cum inuenisset obuiam chorum Prophetarum, simulque cum eis assistens, descenditque in eum Spiritus Domini, ut cum aliis simul prophetaret. *Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudius tertius, quod esset cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: Quidnam accidit filio Cîs? Num & Saul inter Prophetas?* 1. Regum 10. num. 10. Cum autem dicunt: *Num & Saul inter Prophetas?* Id est, quomodo homo tam indignus etiam prophetat. Ut explicat D. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 43. *Saul, ait, & illatus choro Prophetarum, etiam ipse prophetauit: & de solo quasi indigno memoratum est: etiam Saul inter Prophetas? Saul cum unctus est in regem, à Samuele mutatus est in virum alterum. Eodem cap. 10. num. 6. indeque factum ut Spiritus Dei in sanctu prophetaret; & cum omnes viderent tantum suæ mutationis signum, ut pote dono prophetandi ditatum; tamen cum antea omnes eum indignum appenderent, etiam post donum acceptum indignum iudicant. Ad hæc vide multa tom. 3. cap. 15. quæst. 17. num. 140. 141. 142. & 143. & cap. 21. quæst. 8. num. 53.*

1. Reg. 10.

Ambros.

Ex antiquis iudicatur Saul.

102. Et dixerunt ubi est ille? ait, nescio.

103. Adducunt eum ad Phariseos, qui cæcus fuerat.

104. Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.

105. Iterum ergo interrogabant eum Pharisei quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.

VERSIONES.

Syriacus n. 13. Adduxerunt eum, qui prius cæcus fuerat.

Euthymius. Qui quondam cæcus fuerat.

Arias. Illum nuper cæcum.

Syriacus n. 13. Lutum imposuit oculis meis, & laui, & recepi visum.

EXPOSITIO V.

102. Chrysof. Leonius. Tolct.



Hic dixerunt ubi est ille? Hoc ut notant D. Chrysofomus, Leonius, Toletus, non recto animo dicebant, ut Christum audirent, & crederent, sed sinistra, & mala mente, ut Christum tanquam Sabbati violatorem adducerent, & accusarent apud Phariseos, quod ex eo

probat; nam cum Dominum, quem quærebant, non inuenirent, hunc cæcum loco illius ad Phariseos deferunt, ut ab eo profundè, & subtiliter examinato altè veritatem agnoscant. *Ubi est ille? præ odio proprium nomen prætermitunt, & non pronuntiant. Ait, nescio. Nam cæcus iussus statim abiit in Natatoriam, & illo digresso illico Iesus discessit. Editis enim miraculis non morabatur, alienus enim erat ab omni gloriæ applausu ex D. Chrysof. Theophyl. Quoniam Dominus, ait, sanans, & miraculum faciens, consueuerat, eo quod alienus esset ab ostentatione, secedere: interrogatus cæcus, ubi est ille, dicit: Nescio.*

Chrysof. Theophyl.

103.

Adducunt eum, scilicet vicini, noti, & illi, qui cum illo habuerunt superiorem questionem, qui enim magis tibi sunt propinqui, sæpe tuo bono, ac commodo maxime torquentur, ac de illo, quam plurimum controuertunt. *Qui cæcus fuerat. Seu ut legit Arias, illum nuper cæcum. Ad Phariseos, tanquam ad iudices, ac seniores. Ex quibus maxime constabat magnum concilium Synedrîj, qui causas, & controuersias de religione audiebant, & decidebant. Causam autem, cur cæcum adduxerunt, exponit Euangelista cum ait: Erat autem Sabbatum. Ut rectè notarunt Chrysof. homil. 56. Euthym. Theophylact. Leontius, Albertus Magnus & alij. Dubitabant enim an Christi miraculum esset probandum, cum factum fuisset die Sabbati, in quo omnia feruilia prohibita erant. Et ideo suum prauum animum declarantes, eum ad Phariseos adducunt.*

Arias.

Chrysof. Euthym. Theophyl. Leon. Albert.

104.

Iterum ergo interrogabant eum Pharisei. Licet vicini prius rogauerint, & responsum Phariseis retulerint, tamen Pharisei iterum iuridicè interrogant, ut iudicis prætextu facilius suam malignitiam tegant, & diffundant. Theodorus Heraclensis in Catena Græca notat, quod hoc factum est in domo iudicij, scilicet Concilij Synedrîj; res enim fidei, ac religionis ibi agebantur. Et hoc Dei consilio factum est, ut Christi miraculum valde notorium, ac manifestum fieret. Vnde ait D. August. tract. 39. *Cæcus confitebatur, & cor impiorum frangebatur.*

Theodor.

August.

105. Dicebant ergo ex Phariseis quidam: non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos, Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem: quia Propheta est.

106. Non crediderunt ergo Iudei de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset: donec vocauerunt parètes eius, qui viderat.

107. Et interrogauerunt eos dicentes: hic est filius vester, què vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt.

108. Iterum ergo interrogabant eum Pharisei quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.

VERSIO

VERSIONES.

Syriacus n. 16. Et dissidium erat inter eos.

Euth. Theoph. Et dissensio erat inter eos.

Syriacus n. 17. Ego dico eum Prophetam esse.

Arias n. 18. Non crediderunt, quia cæcus erat, & vidit.

EXPOSITIO VI.

105.



DICEBANT ergo quidam ex Phariseis. Proponitur varia sententia, tum ex Phariseis, scilicet iudicibus, & quilibet iuxta suum affectum, ac propensionem loquebatur. *Ex Phariseis quidam, ut ait D. Chrysofomus, pertinaciores. Qui ita erant odio obcæcati erga Iesum, ut nullo diuinæ omnipotentie euidenti opere mitigarentur. Non est hic homo à Deo, scilicet missus à Deo, nec eius adiutorio, ac afflatu operatur. Qui Sabbatum non custodit, scilicet non obseruat. Malignè loquebantur, miraculum silentes, & eam, quæ æstimabant legis præuicationem, ut obseruant Hugo, Toletus, paucillum luti pinferere in medium proferebant. Non enim dicunt in Sabbato curat, sed quoniam Sabbatum non custodit. Alij autem dicebant, tanquam opposites; quomodo potest homo peccator, sumitur pro iniquo, & scelerato, hæc signa facere, tam magna, & eximia miracula edere; dubitantes, & admirantes loquuntur, cum sine vlla habitatione excellentiam miraculi debebant constanter affirmare. Nemo tamen, ait Chrysof. horum audebat sententiam suam palam facere, sed dubitabant partim timore, partim ambitione. Propriæ scilicet gloriæ, & ideo alterius excellentiam nolebant simpliciter fateri. Et schisma erat inter eos. Dissidium, ac opinionum differentia, iustitiæ causa omnino non est deferta, sed semper pro se habet propugnatores.*

Chrysof.

Hugo. Tolct.

Chrysof.

106.

Ioan. 2. Exod. 7. Chrysof.

Euthym. Theophyl.

Theodor. Cyrillus. August. Beda. Euthym. D. Thom. Bonau. Leon.

Maldonat. Carthusian.

Dicunt ergo cæco. Cæcum vocat Euangelista, quia cæcus fuerat, quamuis iam non esset cæcus, sicut vocatur aqua, quæ vinum erat, quia aqua fuerat, Ioan. 2. num. 29. Et virga Aaron, quæ iam erat serpens, Exod. 7. num. 12. Qui autem fuerint, hic, qui hæc cæco dixerunt. Chrysofomus homil. 57. Euthymius, Theophylactus, existimant factam fuisse interrogationem à Christi fautoribus, quod potest corroborari, quia sic loquuntur: *Quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Non enim dixerunt: Qui Sabbatum non custodit. Et hoc sensu interrogant, ut cæcus de Christo magna prædicaret. Theodor. Mopsuet, Cyril. in Catena Græca, D. August. Beda, Rupert. D. Thom. D. Bonau. altrouunt hoc quæsitum fuisse à Christi contrariis, qui dixerunt: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? & ideo eo consilio sæpè Pharisei cæcum interrogarunt, ut notat Leontius, ut experirentur an ipse sibi esset constans in dictis, vel variis, & anceps, ut inde cæcum arguerent, ac extra Synagogam eiecissent, & hanc partem comprobant Maldonatus, ex his, quæ adiungit Euangelista: *Non crediderunt ergo Iudei. Tamen potius mihi videtur dicendum cum Carthusiano: ab illis duabus partibus inter se discordantibus factam fuisse questionem, quia cum inter se discordarent, recurrebant ad testimonium eius, qui expertus fuerat Christi potentiam, ut ab illo exactius agnoscerent rei ordinem. Ille autem dixit: rectè Chrysof. Syluira in Euang. Tom. 17.**

Nibil perterritus prauo Iudeorum iudicio. Addit Beda, *Constanter, quod sentiebat, expressit. Et testificans cæcus de Christo, ait: quia Propheta est. Id est vir sanctus, & præclarus. Sic Abrahamus dicitur propheta, Genes. 20. num. 7. Prophetam autem vocat, quia nondum cognouerat eum filium Dei, ut postea n. 38. confessus est tamen, ut ait D. August. tract. 44. in Ioan. Cum cæcus prophetam vocat, non mentitur, ipse enim Dominus de se ait; *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua.**

Chrysof. Beda.

Genes. 20.

August.

107.

Non crediderunt ergo Iudei de illo. Contra Christum sentientes, non crediderunt cæco Christi magnalia prædicantem, aliter sanè fieret, si virtutia dixisset, quia cæcus fuisset, & vidisset. Primum testimonium à vicinis ad fe allatum crediderunt, sed considerantes, quod eo admisso non datur, quod se tuerentur, in dubium totam rem vocare sibi melius iudicant. Tamen, ut ait Hugo, si non credebant eum fuisse cæcum, & illuminatum, qualiter accusabant, quod Sabbatum non obseruaret: quia in Sabbato curabat. Ecce quomodo iniquitas sibi est repugnans, & contraria. *Donec vocauerunt parentes eius, qui viderat. Ut ab eis veritatem inquirant, & sic maiestas miraculi magis patefcat, hæc enim est veritatis natura, ut quo magis impugnatur, inde magis confirmetur. D. Chrysof. homil. 57. Considera, ait, quot modis miraculum tegere, & abolere conantur: verum huiusmodi est veritatis natura, ut unde magis oppugnatur, inde magis confirmetur.*

Hugo. Iniqui contra se loquuntur.

Chrysof.

108.

Chrysof.

Interrogauerunt eos. D. Chrysof. homil. 57. *Aduocatis in medium parentibus, ut metum incuterent, quadam cum vehementia, & indignatione, interrogant eos. Nam cum cæcum perterritus non possent, quin audenter acceptum beneficium publicaret; per parentes infirmare miraculum conati sunt. Ab eis tria quærant. Primum, an ille esset filius eorum? Secundo, an cæcus natus? Tertio, quomodo in præfenti videt? Et dicunt: *Quem vos dicitis, quia cæcus natus est. Non inquirunt, qui cæcus natus est, sed quem vos dicitis, veluti asserentes, ut notant Theophyl. D. Thomas, Hugo, quem vos fingitis malignantes contra nos, & Christum applaudentes, cæcum esse, cum reuera talis non extaret.**

Theophyl. D. Thom. Hugo.

QUESTIO XV.

Quare ex tanto edito miraculo Iudei Christum arguunt, quod Sabbatum non custodiret?

ALDE mirum. Quod dæmones videntes Christi miracula exclamant sanctum Dei, ac filium Dei eum appellantes. *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene venisti perdere nos? Scio, qui sis sanctus Dei, Marc. 1. n. 24. & iterum: Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? Matth. 8. n. 29. At vero modò homines intuentes Christi miracula, impudicè asserunt ipsum non esse missum à Deo, sed esse peccatorem. Non est hic homo missus à Deo, qui Sabbatum non custodit. Et iterum. Nos scimus, quia hic homo peccator est. Tanta est hominis malitia, eiusque inuidia, ut dæmonis nequitiam superexcedat, & quem ob miracula dæmones sanctum Dei, homines eum peccatorem, ac Dei aduersarium temeraria præsumptione asseuerant.*

109.

Marc. 1.

Matth. 8.

Homo ali-quando dicit, quod diabolus nō audet.

Ad nostram questionem, prima solutio desumitur ex D. Gaudentio homil. in Feria 6. post Dominicam 1. Quadragesimæ. Postquam varia Christi miracula

110.

D. Gaudent.

GG 3 racula

racula numerat, filium Reguli sanatum : quinque mille homines quinque panibus saturatos. Dominum super mare ambulatantem ; tunc subdit : In cathalogo isto virtutum adhuc unum fecerat opus, quod fruenti contra se imperio populo Iudeorum, quasi verisimilem sanandi aditum dedisse videbatur, quod scilicet hominem curasset in Sabbato, cum lex orium Sabbati imperasset. Itaque Christus, qui legem veterem solvere non venerat, sed implere tanquam violari Sabbati reus in sectionem perpetitur Iudeorum. Aperte, & clarè viderant Iudæi multa Christi miracula, ac mirabilia, quæ euidenter eum filium Dei demonstrabant ; tamen ob pauillimum luti Sabbato confectum iniquè, ac sine fundamento suspicabantur Sabbatum esse violatum, tantum apud eos præualuit eorum iniqua suspicio, vt eam miraculis non deponant, sed potius suspicione miracula obnubilare cogitent : In cathalogo isto virtutum, &c. Maxime aperta erat fides, ac benevolentia Dauid erga Saulem, eum à periculo Goliath liberavit ; cumque eum haberet in spelunca liberum dimisit, & tamen crudeliter Saul Dauidem perdesert, ac omnia loca infectabat, immisissaque lancea eum voluit occidere, sed quam tanta persecutionis causa? Cum audisset Saul mulieres canentes. Percussit Saul mille, & Dauid decem millia, 1. Regum 18. num. 7. ait D. Chrysof. homil. de Dauid, & Saule: Ab illo die suspectum habuit Dauid, & ab illo metuit, tanquam quod ipse vellet regnum impetere, plus deferens suæ suspitioni, quam fidei, ac benevolentia; tot tantisque testificata. Subdit Chrysof. Erga eum, qui animam impendit, vitam dedit, que poterat esse iusta suspitionis causa? Ac si dicat nulla.

Plus apud homines valet aliquando eorum suspicio, quam clara euidemia.

1. Reg. 18.

Chrysof.

111.

Homines offensi qui debebant esse obligati.

Calliodor.

112. Chrysof.

Homines solam adueriunt ad id quod carpere possunt, non vero ad id quod laudabile.

Ioan. 5.

Hugo.

Secundò. Inuidiosa iniquitas contra se arma sumit, dum enim Iudæi Christum violatorem Sabbati dicunt, ibi eius magnalia prædicant, ac eximij miraculi operatorem publicant, dum enim iniqua sua intentione corrodere volunt, ibi præter suam intentionem eum extollunt, ac eius diuinam potentiam euulgant. Tertio. Inuidiosa iniquitas. Ex facto miraculo debebant homines Christo impendere reuerentiam, eique gratias agere, inde tamen crudelis maledicentia ansam arripiunt, vt inanissimè violatorem Sabbati dicant, vnde enim debebant esse alitri; inde redduntur offensi. Cessiodorus lib. 4. epist. 44. Inuidiosa est, ait, contra eum querela, cui sunt reuerentia iura seruanda : quia nescio, quid admissum graue creditur, ubi contra tales silentium non tenetur.

Quarto. D. Chrysof. homil. 57. Omisso miraculo, ait, adducunt in medium, id quod transgressio videbatur : non enim dicunt, in Sabbato curat, sed Sabbatum non custodit. Petuerit, & maligni Iudæi non considerant, nec publicant eximiam Christi potestatem, præclarum donum desperati visus concessum, sed tantum ad id, quod defectuosum putabant oculos coniciunt ; ad miraculum cæci, ad Sabbati putatam violationem attenti sunt. Sic sanatus paralyticus apud piscinam cum interrogaretur à Iudæis, cur grabatum tolleret die Sabbati, respondet ipse : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum, & ambula. Cui illi respondent: Quis est ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, & ambula? Ioan. 5. num. 12. Vbi rectè ponderat Cardinalis Hugo: Non dixerunt, inquit, quis est qui te sanum fecit : sed hoc bonum tacuerunt, quod eos torquebat ; & eam, que estimabatur transgressionem in medium dicunt. Quis est, inquit, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, & ambula? Paralyticus duo

dixerat : Qui me sanum fecit. Secundò dixit: Tolle grabatum. Perfidii Iudæi admirabilem hominis sanitatem concessam nec vident, nec intelligunt, sed solam æstimatam Sabbati transgressionem certunt, & commemorant.

113. Ioan. 19.

Ad Pilatum clamant Iudæi Christum accusantes : Nos habemus legem, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit, Ioan. 10. num. 7. Cur non dicunt filium Dei se fecit, qui mortuos suscitatur, super mare ambulat, morbos depellit, & turbas mirabiliter pascit: cur solum nude filium Dei dicunt, illa verò mira, quæ filium Dei demonstrabant, tacent? quod vnus homo nude se filium Dei diceret, reprehensione dignum videbatur; quod verò homo tanta potestate, ac excellentia se filium Dei testificaretur, satis conueniens & congruum erat; maligni ac peruersi Iudæi, quod reprehensionem subiectum iudicabant, hoc in medio proponunt, & obiiciunt, quod autem diuinam filiationem indicabant, hoc omnino supprimunt, & prætereunt. D. Cyrill. Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 19. Cur inquisitione omni contempta, & sacrarum litterarum testimonijs spreto, solummodo contradicis, & veritatem crimini datis? Oportebat sane, quando Pilato dixistis, quia filium Dei se ipsum fecit : tunc quoque opera ipsius in medium asserre. Oportebat quatuoriduo iam mortuum voce sola in vitam restitutum narrare. Oportebat vniuersum viduæ filium non relinquere. Et postquam alia miracula commemorat, subdit : Hæc ceteraq; huiusmodi, quibus verè Deus monstrari poterat, malitiosè prætereunt, caulationibus solummodo vituntur.

Homines dicunt quod reprehensibile iudicant, magnum prætereunt.

Cytil.

142. Matth. 4.

Dato testimonio Patris in Iordane. Ductus est Iesus in desertum, & cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit : & accedens tentator, Matth. 4. n. 2. Accedit tunc ad tentandum, quia ex fame percepta hominem cogitat, sed cur, cum audit vocem Patris : Hic est filius meus. Et cum rigida abstinentia eum videt ieiunantem per quadraginta dies, cur ex tam aperta diuinitatis nota, non eum æstimat filium Dei? Cur ex tanto testimonio, ac tam largo ieiunio omnem dubitationem circa eius diuinitatem non deponit? Nam multo efficacior erat demonstratio cælestis vocis, ac tam largæ abstinentia, quam esuries vnus momenti; maleuolus Satanas non considerauit, nec intellexit vocem Patris, nec tam largam super omnes vires humanas abstinentiam, sed solum attendit, ac aduertit ad famem vnus breuis temporis, indèq; non ex abstinentia Deum cogitat, sed ex esurie hominem appendit D. Chrysof. in Imperf. homil. 5. O cecitas Diaboli, ait, manifesta : quomodo suspicatus est eum non esse filium Dei, quem post quadraginta dies esurientem sentit, & per quadraginta dies non esurientem non intellexit? nam sicut esurire hominis est, ita per quadraginta dies non esurire, hominis non est.

Diaboles non considerat non esurientem, sed famescientem.

Chrysof.

Ioan. 9. n. 20. Responderunt eis parentes eius, & dixerunt : scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est.

Num. 21. Quomodo autem nunc videat, nescimus : aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus : ipsum interrogate : ætatem habet : ipse de se loquatur.

Num. 22.

Num. 22. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos : iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

Num. 23. Propterea parentes eius dixerunt : quia ætatem habet, ipsum interrogate.

VERSIONES.

Arias. n. 21. Quomodo autem nunc videt nescimus.

Syriacus. Quin etiam ipse ad annos suos progressus est, eum interrogate.

Syriac. n. 22. Constituerant enim Iudæi, vt si quis confiteretur eum esse Meschiacho, ab ipsis eiiceretur è synagoga.

EXPOSITIO VII.

115. RESPONDERUNT parentes eius, Ecce magna Dei prouidentia, de miraculo perferuntur Iudæi, vt euidencia miraculi magis aperta, & nota sit, de tribus fuerunt parentes à Iudæis interrogati: Vtrum hic esset filius eorum, vtrum cæcus natus esset, & quomodo nunc videret : De primis duobus confitentur parentes eius, quod certissime ille esset filius suus, & cæcus natus.

116. Quomodo autem nunc videat, nescimus. Per quod respondent ad tertium quæsitum, & ignorare se dicunt quomodo videat, & quamuis parentes eius forte iam didicerant à filio, quomodo Iesus ei visum concesserit, tamen vt rectè notarunt Euthym. & Theophylactus, timentes Iudæos, vt patet ex sequenti versu, hoc se ignorare dicunt; sæpè ob timorem magnorum veritas supprimitur, & non denuntiat. Ipsum interrogate, testem operis filium assignant, qui sanitatem erat expectus: ætatem habet, de se loquatur. Quod commentans Chrysof. ait. Dignum fide ducunt ad sui excusationem : non est puer, neque desipit, potest de se ipso testimonium ferre. Et etiam ad filium totum referunt parentes, quia forte malebant filium solum periclitari, quàm ipsos etiam cum filio.

117. Hæc dixerunt parentes eius. Hoc refertur ad proximè dicta. Quomodo autem nunc videt, nescimus. Et subdit Euangelista. Quoniam timebant Iudæos. Scilicet eorum magistratus, & principes, qui ex suo officio veritatis debebant esse indagatores, sua tamen malitia illius erant occultatores; & cum hoc dicit Euangelista, vt obseruant Toletus, & Maldonatus, indicat, quod parentes miraculum intellexerunt à filio, vel vicinis, tamen ob Iudæos veritatem non aperiuunt. Iam enim conspirauerant Iudæi. Comuni consensu constituerant; vt si quis eum confiteretur esse Christum. Verum Meschiam à Deo promissum. Extra synagogam fieret. Syriacus. Eiiceretur è synagoga. Esset nempe segregatus ab Israëlitis conuenientibus ad rem diui-

Euthym. Theophyl.

Chrysof.

Tolet. Maldonatus.

Syriacus.

nam, & idem hoc valebat apud eos, ac apud nos Christianos excommunicatio, & sicut apud nos est magna ignominia excommunicatio, sic & apud Iudæos extra synagogam fieri.

Propterea, ne extra synagogam fierent, parentes eius dixerunt. Proximè dicta. Quod ætatem habet. Parentes eius duo dixerunt. Quomodo nunc videt nescimus. Secundò Arias habet, ipsum interrogate. Cur hic Euangelista non repetit illorum integrum testimonium, sed prætermisso primo, quod dixerant, se nescite quomodo videat; solum secundum proponit ætatem habet. In primo dicto latebat aliquid mendacium, quia cum cognouissent, quomodo vidisset, illud tamen dixerunt nescite; at verò in secundo dicto nuda veritas extabat; Euangelista autem quod mendacio, ac culpæ parentum adscribi poterat, præteriuit, ac dissimulauit, quod autem ab omni culpa erat alienum proposuit. Rupertus hic lib. 9. in Ioan. Eam partem, ait, responsionis reliquit Euangelista, que non omnino culpa vacat, quia non omnino caret sordè falsitatis id, quod dixerant : quomodo autem nunc videt, nescimus, & illud quod irreprehensibile est, repetiuit, velut attestando dicens. Propterea dixerunt, ipsum interrogate. Apostolicum ingenium aliorum culpas prætereire, non explicare, sed abscondere.

118.

Ingenium Apostolicum aliorum defectus abscondere.

Rupertus.

Ioan. 9. n. 24. Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei. Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est.

Num. 25. Dixit ergo eis ille: si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cum essem, modò video.

Num. 26. Dixerunt ergo illi : quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?

VERSIONES.

Syriac. n. 26. Et vocauerunt secunda vice virum illum, qui fuerat cæcus, ac dicunt ei. Glorifica Deum : nos enim nouimus hunc peccatorem esse?

Græcus n. 25. Vnum scio me cæcum fuisse, & ecce nunc video,

EXPOSITIO VIII.

119. OCCAVERUNT ergo. Illa particula, ergo, indicat, quod cum frustra Pharisæi laborassent in examinandis parentibus; Expectabant illi, vt ait D. Chrysof. quod parentes miraculum negarent, eorum tamè testimonio maximè miraculum corroborebatur. Tamen Pharisæi non quiescunt; sed lumen oculorum cæco datum conantur extinguere. Da gloriam Deo, hoc est, fatere veritatem, quam nos testificamur, hunc nempe hominem esse peccatorem. Dare gloriam Deo, seu glorificare Deum, vt habet Syriacus, idem

119.

Chrysof.

Syriacus.